(288)

Barlæo.

Quanto distamus intervallo, mi Barlæe, quanto nec me audis nec a me audieris! Instar hoc Amphitruoniæ noctis est, quam certatim edormimimus. Tu quam facilè expergefias nescio. ego ecce vigilo, et hanc a veterno ἀνάστασιν viribus divini Te, quas unà sæpè experti sumus, acceptam fero. Amavi hactenus nobile filiam, et dilexi: nunc et veneror et omni majore cultu quo hæc sublunaria licet, prosequor. nempe quod modicè sumptum Te te mihi repræsentaverit, et hos qualescumque scazontes dictaverit, quibus de Te ac te quid sentiam pro modulo exprimendi animus et facultas data fuit. Vale atque illustres Te potores Hooftium Vossium Carpenterium, Speximum ~~inter Te et te a me~~ Te veniente die Te decedente ~~libe~~ libentes, inter Te, et te a me saluta Scribo Rhenoberæ IX Augusti CIƆIƆCXL.

Smithio.

Amplissime ac doctissime Smithi.

(289)

Redeunt ad te dissertationis pro Noviomago tria elegantissima capita; quibus si me persuasum fatear, ut Patriæ Metropoleos rudera quæram ad radices Cliviæ montium, jam Batavum debellare cœpisti, qui fortasse sine sectatore a te non stabit, et caussa est cur pulcherrimo instituto summam manum libentius imponas: si non fatear, si ἐπέχω, si amplius deliberandum censeo, vides plus caussæ esse, cur acrius instes, totisque superfusis copiis efficias, quod cohortes paucæ vel manipuli nequiverunt. Sed fateor magis, Mi Smithi, et ingenuè fatendo niti has conjecturas doctissimis ponderatissimisque argumentis, summopere a te peto, ut nullis te diverti sinas à tam nobili argumento, publicis privatisve negotiis, quibus nimirum, dum egregiè attendis et vacas, facis tamen quod collegæ faciunt, et post te facturi sunt non pauci mortales. Hanc verò telam dum pertexis, solus præstas quod ab omni posteritate frustrà speremus. congestâ quidem tantâ veterum nummorum, ac cæteræ supellectilis tam præstanti copiâ, ut si quos scriptione tam latinâ non convincas ipsis Romanorum fibulis vincias, stilis confodias, annulis includas, toto denique armario ponderibusque Romanis obrutos assentire, et penè in ipsis nummis legere cogas ad antiquas lampades, ab hoc solo incœpto Batavorum oppido Cl: Civilem in Bataviam suam concessisse. Quod cum per te stet, ut a doctis æquè atque indoctis credatur

credatur, vide cujus te culpæ reum facias, si vel sa neg
quod dicebam, vel ab ipsâ morte (quæ procul sit) inter
pi te sinas in viâ verissimæ veritatis. Vale, et si me
amas, posteros quoque, quorum causam ago, et qui te
præsente non fruentur, amare te, dum potes doce. Scrib
inter mille turbas atque avocamenta, in prætoriâ Pri
cipis ad Vornam Insulam 5. Cal. Sept: 1640.

Smithio. Amp. ac doct. Smithi (290)

De Noviomago tuâ, vel jam nostrâ, quid sentiam, solut
nuper sermone prolocutus, carmine nunc autorem ipsum
aggredior, quando mihi in re seriâ ludendi et audaciam
humanitas tua dedit, et impetum Epigramma lepidis
mum, quo et mei præter meritum nuper meminisse
voluisti. Ignosce rudi metro, quippe inter non
armorum modò, sed Aulæ quoque et muneris mei
perpetuas turbas nato. Si quid veniæ in antecessum
das, reliquum cominus et propediem, si Deus volet, ex
torquebo. discedimus enim ex continente, atque ut
Civilis tuus, per oppidi Batavorum cineres in Insula
concedemus, salvâ Neomago tamen et incolis, ne qu
sinistri augureris. Vale Vir Amplissime et ama
Tuum.

Gravæ 22. Sept: 1640.

Quadriennium est, et quod excurrit
cum ad mirabilem Puellam Schurmannam
Epigramma misi, quod huic adjeci, eò quod
non absoni argumenti videretur, ac tum
temporis, nescio quam æquo vel iniquo plausu
a literatis amicis exceptum fuit. Unde et
memoriæ obhæsit, lubricæ aliàquin, et
nostrarum ineptiarum quantum par est
negligenti.

Smithio. (291)

Suspicor et prævideo, Smithi amplissime, tantillum otij
nobis in oppido Batavorum ~~[illegible]~~ non iri datum, ut
vel ex itinere te salutem. Statuit enim Princeps
cum diluculo hinc discessurus prandium Arnhemi
sumere. liceat itaque hoc officii scripto implere,
et si me amas, crede vim invito fieri, quoties

Neomagum